PASSIONALE SANCTORUM
Zwettl, Ende 12. Jh. Seite 100r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



et tua est potentia. qui eruis seruos tuos
de medio inimicorum suorum. Et cum paulus
oraret. tecla retro paulum stabat. et non
uidebat eam paulus. Tunc tecla exclamauit
dicens. Pater misericors qui fecisti celum et
terram. qui misisti ihesum xpm filium tuum
sanctum pro redemptione nostra ad terras. bene
dico te qui saluasti me ut paulum mere
rer uidere. Et conuersus paulus uidit eam.
et dixit. Domine ihesu xpe precordiorum inspector.
benedico te quia celeriter exaudisti
seruum tuum. Et erat uirtus gaudium magnum
paulo cum onesifero. et omnibus qui ibidem
aderant. Habebant panes aliquos et o
lera et aquam. et letabantur in sanctis operibus xpi.
Et pactis omnibus. dixit tecla paulo. Obsecro
te domine pater de tonde me et sequar te
ubicumque ieris. Paulus ait. Tempus turpe est
et tu speciosa es ualde. ne quo causa aliqua
temptationis contingat deterior priori
et non sufferas. Tecla dixit. Tantum da mihi sig
num in domino. et non tanget me ulla tempta
cio. Paulus dixit tecle. Pacientiam habe. et
accipies locionem. Et dimisit yconio one
siferum cum suis. et cum tecla profectus est an
tiochiam. Cum autem peruenisset paulus cum
tecla. quidam nomine alexander antiochen
sium princeps. uidit teclam et incidit in
speciem eius. et seducebat paulum pecunia
et muneribus multis. Paulus ei dixit. Nescio
quam dicis mulierem. sed nec est mea. At ille
quia princeps erat ciuitatis. non enim uere
batur quemquam. uictus amore eius amplexatus
est eam in publico. Tecla uero repugnans contra
eum paulum querebat dicens. Noli macula
re hospitem. noli iniuriare dei ancillam.
Yconiensium et enim sum prima. sed quia noluit
nubere eiecta sum de ciuitate. Et hec dicens
tecla concidit fibulam eius. et detraxit coro
nam de capite eius. et statuit eum in trium
pho. At ille furore repletus optulit eam
presidi. Preses autem interrogauit eam si ita fe
cisset ut accusabatur. At illa non negauit
sed confessa est ita fecisse. Tunc preses pro sacrilega
dampnauit eam ad bestias. ipso alexan
dro munus edente. Ad quam commota ciui
tas. condoluit de iniusto iudicio. Et tecla
ut se dampnatam uidit. petiit a preside
usque ad diem quo pugnatura esset seruaretur
casta. Cumque requireret quis eam digne sus
ciperet. ecce mulier quedam trifena nomine
diues ualde cuius nuper filia decesserat sti
mulata spiritu sancto suscepit eam custodien
dam. Et cepit trifena habere solatium
tecle in loco filie. Et cum dies uenisset ut
bestie publicarentur in amphitheatro.
imposita est tecla super caueam in qua erat lee
na seuissima. et introiuit in arenam ad
pompam spectantium. Et trifena seque
quebatur eam nichil erubescens. Leena uero per
trabes cauee proferens linguam sua pedes
tecle lingebat. Erat autem eloquium eius scrip
tum sacrilega. Mulieres uero clamabant
dicentes. Domine preses iniqua fiunt in ista
ciuitate. Et postquam publicate sunt bestie
trifena accepit teclam. et abiit in do
mum suam. Et ecce filia trifene que de
functa erat aparuit in somnis mater
sue dicens. Mater. teclam hospitem ha
bebis in loco meo donec depugnet.

100

fol. 100